

tum est effectus, scilicet, quod iam corpus sublimandum sit ita spirituale factum, quod possit sublimari. Nihil confert operi nostro, nec vltra requiritur post præparationem primi lapidis: quia talis sublimatio non spiritualizat, sed tantum effectum spiritualitatis ostendit. Ideo bene dicit ille regalis Philosophus Geber: Quia in operatione magisterij nostri non egemus nisi unico vase, una fortate, unaq; dispositione, quod intellige, post præparationem primi lapidis. Genesis: Ex aqua omnia facta sunt, & super aquam ferebatur spiritus Dei, & principium generationis hominis ex ea. Hermes: O natura fortis, naturas vincens & superans, fusasq; naturas gaudere faciens. Geber: Expedit huius artis principia & radices principales, quæ sunt de esse operis non ignorare. Basilius: Sulphur nostrum fortius est omni igne. Alanus Philosophus: Una res ex omnibus eligenda, quæ est liuidicoloris, habens speciem metallicam, limpidam & liquidam, & est res calida & humida, aquosa & adustiva, & est oleum viuum, & tinctura viua, lapis mineralis, & aqua vita miræ efficaciam. Aristoteles: Nullum tingens venenum generatur absq; Sole & eius umbra: id est, uxore.

Sublimatio est duplex: Prima est remotione superfluitatis, ut remaneant partes purissimæ à fæcibus elementaribus segregatae, sicq; virtutem quintæ essentiæ possideant. Et hæc sublimatio est corporum in spiritum reductio, cum scilicet corporalis densitas transit in spiritus subtilitatem.

Secunda Sublimatio est extractio, quod in ipsa est de natura quintæ essentiæ, à fæcibus elementaribus separata. Dico autem quintam essentiam animam tingeniem, ad quam necessaria est ablutio, ut per eam extractetur vntuositas arsenici, siue natura oleaginosa, purissimæ vntuositatis, quæ ligata est cum fæcibus suis, quæ fæces non permittunt ipsam sublimari.

Vincentius de lapide Elixir.

Vincentius in Speculo naturali, libro primo: In corporibus mineralibus ad instar operationis naturæ conati sunt Alchimistæ facere breui tempore quod natura facit in annis mille, unde & docuerunt rem quan-

dam